





1729, 21<sup>b</sup>

24

FACULTATIS JVRIDICÆ  
DECANVS,  
**JO. PHILIPPVS**  
**S**treit, JC<sub>T</sub>VS,  
EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

---

ERFORDIAE,  
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.




10. PHILIPPI  
AVT. 1. 10.

11. 1. 10. 1. 10.  
12. 1. 10. 1. 10.

2. 1. 1. 1. 1.

---

13. 1. 10. 1. 10.  
14. 1. 10. 1. 10.



**J**us Patronatus, uti ad propositum spe-  
clat, est jus, sive potestas nominandi, sive  
presentandi aliquem idoneum ad beneficium  
Ecclesiasticum vocans. ita communissi-  
mè Doctores. Dividitur in Ecclesiasticum,  
saculare & mixtum. prout colligitur ex cap. cùm autem 24. X. de  
jure Patronat. in verbis: si laicus fuerit,  
cui competit Jus praesentandi. Ecclesiasticum est, quod per-  
sona Ecclesiastica competit, nomine vel ratione Ecclesiae,  
capituli, vel monasterii, non attento, quod originem ex bo-  
nis patrimonialibus laici traxerit, qui id Ecclesia potuit do-  
nare. *saculare*, sive laicale est, quod collegio non sacro, vel  
persona privata, sive laico, sive clero competit ex patri-  
monio, successione paternâ, vel alio titulo *saculare*. *avar.*  
*præt.* *Quæst. cap. 36. n. 2.* *Mixtum* quod partim ratione  
Ecclesiae, partim patrimonii alicui competit. Et hoc sub-  
dividi potest, in *hereditarium & familiare*: prius est quod tran-  
sit ad quoscumque heredes etiam extraneos; *familiare ve-*  
*ro*, in quo tantum succedunt illi, qui sunt de sanguine &  
familia fundatoris. In dubio inspicienda sunt verba funda-  
tionis, an facta fuerit mentio familia & descendantium,  
nullâ factâ mentione heredum & descendantium, intelligi-  
tur etiam *familiare*. si neutrorum meminerit, *præsumitur*  
*hereditarium*. *Braun.* in *princ. jur. can. ad tit. de jur. patronat.*  
Aliam divisionem dat *Zoesius* dicit. tit. n. 3. in fin. dum ait:  
posset

posse & jus Patronatus aliud dici *personale*, quod personæ  
competit, aliud reale, quod *castrum*, vel *prædio*, aut *sinilibus*  
*bonis cohæret*, & non ad heredem tantum, sed quem-  
cunque possessorum *castrum*, *prædii* aut ejusmodi bonorum  
transit. Aliud denique est *actuum*, per quod sit, ut benefi-  
cium conferri nequeat, nisi talis vel talis præsentet. *paf-*  
*vum*, quando certi de aliqua familia sunt præsentandi, nec  
alius extraneus præsentari vel instituti potest, quamdiu ido-  
neus clericus de familia adest: Et de hoc posterior non est  
in proposito magna questio, cùm fundatori intentio pro  
omnibus sit attendenda. Konig ad de t. de jure Patronat. n. 9. An  
verò jus Patronatus si simpliciter spirituale, an verò potius  
temporale? R. utrumque probabiliter defendi posse.  
Quod sit simpliciter spirituale, probatur ex eo, quia primò  
est spirituale ex parte principiū; trahit enim originem ex  
spirituali & Ecclesiastica potestate, quā beneficia instituit.  
2do etiam est spirituale ex parte actus, & objecti seu ter-  
mini; quia ordinatur, ut fiat præsentatio ad beneficium,  
quod est jus spirituale, per quam præsentationem sit pro-  
xime capax præsentatus beneficii; nam si idoneus sit, de-  
bet ab Episcopo institui. cap. significati. 18. de t. Quod ve-  
rò jus Patronatus non sit mere & simpliciter spirituale, sed  
temporale, annexum tamen spirituali, docet *Glossa* in cap.  
Quanto. 3. verb. connexa. X. de judic. & plerique canonistæ, & pro-  
batur ex cap. de jure. 16. X. de jur. patronat, in quo dicitur.  
jus patronatus est spirituali annexum, inde inferunt: ergo in-  
se non est spirituale. illud enim jus tantum ordinatur tan-  
quam præambulum ad jus spirituale obtinendum, scilicet  
institutionem in beneficio. Namvis verò præparatio &  
dispositio ad finem spiritualem ut spiritualem. id tamen tunc  
procedit si sit præparatio & dispositio proxima, secus si re-  
mota tantum. Acquiritur verò jus patronatus tribus po-  
tissimum modis, fundatione, constructione, & dotatione.  
Fundare Ecclesiam dicitur, qui fundum dat vel assignat,  
in quo Ecclesia construatur. cap. 2. caus. 18. q. 2. & cap. nubis  
X. d. t. construere Ecclesiam dicitur, qui eam sumptibus  
suis ædificat, aut penitus destructam & diretam, ut reparata

ta novâ consecratione egeat, denuò redificat; alioquin  
reficiens Ecclesiam sic non destructam non efficitur Pa-  
tronus. *Glos. in cap. 3. d. t.* Et mota impluribus decis. apud Gar-  
ziam. j. p. c. g. n. 51. Dotare denique dicitur is, qui tales re-  
ditus assignat Ecclesia, per quos divina officia ac ministrio-  
rum congrua sustentatio haberi valeat: hinc dotans insuf-  
ficienter, non acquirit jus Patronatus, sed dicitur benefa-  
ctor. *Glos. in can. Quicunque 30. verb. aliquid XVI. q. 7.* ut verò  
prædictis modis acquiratur jus Patronatus, requiritur, ut  
Episcopus ad fundandam, conftruendam, dotandam Eccle-  
siam consenserit. Nemo enim potest vel cappellam adi-  
ficare sine Episcopi consensi, *juxta cap. 1. dis. 1. de consecrat.*  
*E cap. 25. X. de jur. patron. in verbis: cum assensu dioecesani,* in-  
super requirunt aliqui, ut fundans, exstruens, dotans ex-  
presse sibi jus Patronatus refervent, aliás enim libere Eccle-  
siam illam fundasse, exstruxisse, dotasse præsumentur: *Zoef.*  
*ad d. t. n. 4. citans covar. ad cap. possessor. part. 2. §. 10. n. 3. in*  
*fin. ipse Pirhing autem ad d. t. n. 10. in fin. ait.* non esse ne-  
cessere, ut istud jus sibi refervent, sed eos illud acquirere eo  
ipso, quod Ecclesiam fundent, conftruant, vel dotent,  
dummodo illud expressè non remiserint, prout ait ex com-  
muni docere AZORIVM, GARZIAM. Alijs videtur, hac in  
quaestione ante omnia consuetudines locorum esse atten-  
dendas, fin autem in loco nulla sit. *confuetudo, quæ id de-*  
*cideret, præsumendum pro libertate esse.* Capaces autem  
sunt juris Patronatus tam laici, quam clerici, qui non speciali  
jure excludentur. *c. 3. E 25. d. t.* Nec refert mares sint, an  
foeminae. Nam & has juris Patronatus capaces esse per text.  
*in cap. fin. de concess. præb. cap. ex literis, cap. nobis de jur. patron. Garz.*  
*de benef. p. 5. c. g. n. 243. evincitur.* Nam & foemina fundare po-  
test. Sed quid si jus Patronatus annexum sit bonis dotalibus,  
an uxor, an maritus præsentare debeat? pro utraque parte  
militant rationes probabiles. porrò etiam impuberes sunt  
hujus juris capaces, quia potest eis deferri jus patronatus  
etiam si adhuc sint in patria potestate *Pirhing d. t. n. 18.* & si  
pupillus minor sit septenario, tutor ipsius nomine præ-  
sentabit, sin autem major tunc præsentabit ipse pupillus  
cum

cum tutoris auctoritate. Si plures sine patronis, & in  
præsentando non consentiant, tum distinguere oportet,  
vel enim hoc jus pertinet ad plures divisi, seu seorsim ad  
singulos, vel ad plures conjunctim, sive universos. Quid  
vero in his casibus juris sit, & obtineat, ex Cathedra occa-  
sione cap. Quoniam 3. X. de jure patronat. disertè resolvet,

NOBILIS ET CLARISSIMVS

DOMINVS

ALBERTVS CHRISTIANVS  
LVDWIG,

Qui Cizæ in Misnia, Anno 1703. d. 7. Septembr. primam  
alpexit lucem, Patre, Viro Summe Reverendâ dignitate,  
eruditione & doctrinâ conspicuo Dn. ALBERTO CHRISTIANO  
LVDWIG, tunc temporis Pastore ad D. Nicolai meritissimo,  
jam vero Celsissimi atque Serenissimi PRINCIPIS AC DVCIS  
SAXO-GOTHANI DN. FRIDERICI II. Concionatore Aulico  
Primario, Confessore, & supremi Synedrij Sacri Consilia-  
rio dignissimo, eoque, per gratiam Numinis, adhuc super-  
flite; Matre DOROTHEA, Praefecti Pegaviensis, Dn. ABRAHAMI  
GRELLII, filia, præmatura quidem morte pië defuncta, at in  
eius locum ANNA MARIA HVSWEDELIN, secunda pralaudata  
Domini Parentis lectissima Conjuge, haud sine singulari  
Dei providentia, in locum matris feliciter suffecta. Ab his,  
a teneris, in principiis christiana veritatis ac infuscata in  
Deum pietatis indefessè instructus, studisque ita assuefactus  
fuit, ut hunc in finem per aliquot annos Cizr, præceptoris  
domestici Dn. M. THOMÆ LIEBNERI, nunc Pastoris Osterfel-  
densis, fidelissima informatione usus, ac dein cœpta litera-  
rum humaniorum studia, pralaudato Domino parente ad  
aulam SERENISS. PRINCIPIS SAX. GOTHANI, dirigente D. T. O.  
M. vocato, in privatis adibus, ducente Dn. ERDMAN-  
NO RUDOLPHO FISCHERO, jam Archidiacono Cobur-  
gensi, ad annum etatis decimum tertium, continuare, ma-  
gno cum successu, eidem licuerit. Posthac Illustris Gymna-  
si Gotha alumnorum numero, GOTHOFREDO VOCKE-  
RADIO, Rectore, nunc in aëris, receptus fuit Noster, atque  
curæ

curæ & industria doctorum atque doctorum, Amplissimorum Dnn. Professorum, REICHARDI, LESCHNERTI, & FISCHBECKII, per quinquennium, commendatus fuit, quorum doctrinæ fidelitate tot tantosque fecit progressus, ut habito ibidem solemnis Panegyrico natalicio, in laudem summè memorati Sereniss. PRINCIPIS AC DVCIS Patriæ Patis, DN. FRIDERICI II. cum elogio studii Gymnastice valedixerit, & autoritate iussuque Rev. Consistorii Gothani ad academias dimissus sit. Quo ita feliciter peracto Ao. 1722. Alma Vitebergenensis Nostrum benigne exceptit, ubi studia Philosophica haud spernendæ industriæ excoluit, eumque in finem Amplissimi Professoris, B. STRVNZII, Collegiis, Logico, Methaphysico, Ethico, Politico, & Juris Naturalis, habitis iridem, bis per Septimanam, ad datas theses, cum commilitonibus disputationibus, diligenter interfuit, juxta & Excellent. VATERVM, Phyficam experimentalcm docentem, frequentavit. Quibus fructuose transactis, animum amplissimo Juris studio addixit, & Institutionum collegio duabus vicibus, ductu Prænobilitissimi B. D. BRENDELII, ad finem perducto, ejusdem Viri Jurisperitissimi collegium examinatorum, sumimâ cum alacritate, audivit, nec non ad ejus prælectiones, in B. STRUVII Jurisprudentiam Forensem, accessit, insimul Consulti. Dn. KRAVII Collegiis Pandectarum, ad Schepseri Compendium Juris, item ad Celeberrimi SAMVÉLIS STRYKII Examen Juris Feudalis, & Collegio Praetico, ad Illustris JCTi GRIEBNERI Principia Processus Judicarii sedulo interfuit. Ne vero in tanto studiorum cursu subsisteret, ad Hallensem Academiam Musarum sedem, postea se contulit, ubi Illustrè ac famigeratissimum JCTum B. CHRISTIANVM THOMASIVM, Uirici Huberi Tractatum, de civitate, publicè explanantem audire contigit, ac reliquum tempus in lectionibus Excell. Dn. BÖHMERI, Corvini Jus Canonicum prælegentis, & in Dn. D. SCHNEIDERI Collegiis ad Institutiones a Gotthofredo Banigkio editas, item ad Lauterbachii Compendium Juris, magna cum utilitate consumit, arque, quantum licuit, aliorum Virorum clarissimorum scholis, juris materias publicè explicantium, se dedit.

dit. A Venerabili Da. parente demum domum avocatus,  
studiis nihilominus sedulo incumbere perrexit, ac dein  
ab Inclita Facultate Juridica Lipsiensi Notarii Publi-  
ci privilegia sibi conferenda, decenter rogans, ea, publico  
examine peracto, obtinuit, & ad humillimas suas preces à  
suprema Curia POTENTISSIMI REGIS POLO-  
NIAE & ELECTORIS SAXONIAE, numero Nota-  
riorum Saxonicorum fuit adscriptus. Exantato denique  
feliciter studio academico, ad Praxin & causas in foro pe-  
rorandas, sese applicavit, ac pro meliori successu, summos  
in Utroque Jure honores capessendi laudabile cepit consilium;  
Quo fine nostram perantiquam Electoralem Academiam  
accedens, ad rigorosum Examen à Collegio nostro  
admititi, modestè petuit, in quo binos assignatos juris cano-  
nici & civilis Textus tam exactè quàm solide enodando, ta-  
lem omnino, qualem expectabamus, id est, dignissimum se  
præstirit, qui in album Candidatorum non solum recipi, sed  
cum laude quoque ad ulteriora specimina edenda admitti,  
nec non Gradu Licentiatura & Doctorali condecorari  
possit, id quod Collegii nostri unanimi quoque suffragio  
conclusum est. Proximā itaque die Iovis, quā erit XXIV.  
Novembr. lectionem cursoriam ad diff. cap. Quoniam X. de  
jure patronat. hācque finitā, Disputationem Inauguralem  
DE VXORE IN DONATIONE PROPTER NVTPIAS  
NEQVE DOMINIVM, NEQVE HYPOTHECAM TA-  
CITAM HABENTE, horis locove consuetis habebit.  
Quibus actibus solennibus, ut Magnificus Dominus Re-  
ctor, nec non Domini Proceres & Civis Academicī fre-  
quentes interesse velint, decenter invitantur, rogantur.  
Publicatum sub Sigillo Facultatis Jurid. XX, Novembbris  
M DCC XXIX.

(L. S.)

(x228 2285)

V①<sub>18</sub>

ULB Halle  
007 436 564

3







B.I.G.

Black

1729, 21 E

24

FACVLTATIS JVRIDICÆ  
DECANVS,  
O. PHILIPPVS  
Streit, JC TVS,  
MINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-  
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

---

ERFORDIAE,  
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.